

cos infideles te computabo. Quanto enim pro voti promissionem mihi proximus factus es: tanto displicebis amplius. si aliter vixeris quam promisisti. Ergo nunc a te promissum: quod non exegi promittendum. Monachus es: non nisi monachus saluaberis. Si aliter vixeris quam monachus: veluti peruricatore[m] federis mei condemnabo te. Si vero usque in finem mihi fidelis permanseris: magnus in regno meo eris: et cum omnibus sanctis in eternum feliciter exultabis. Votum itaque tuum considera o monache. et cura sollicite adimplere quod promisisti: quia nisi regulariter in cenobio vixeris: cum impijs portionem habebis. Sed quia de vicio proprietatis loqui specialiter intendimus: opportunum videtur ut stilum ad materiam dirigamus.

Quod ius canonicum proprium

monacho sub gravissimis penis simpliciter interdicitur.

O testabile proprietatis viciu[m] in monachis cupientes pro viribus extirpare: sermonem iuris canonici attestacione comprobemus: ut dum auctoritate vniuersalis ecclesie loquimur: nullam a pueris contradictionem patiamur. Tante enim auctoritatis sunt decreta ecclesiastica: ut quisquis contradicere illis presumpserit: non catholicus sed hostis ecclesie indicetur. Quicquid ergo auctoritate ecclesie precipitur: tanquam euangelium ab omnibus habeatur. Audi nunc monache qui proprium possides: quid vicarius christi dicat in persona ecclesie. Prohibemus inquit districte. in virtute sancte obedientie. sub obtestatione diuini iudicii: ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habet proprium: totum in continenti resignet. Si vero post proprietatem hec aliquam habere deprehensus quis fuerit: regulari monitione premissa. de monasterio expellatur: nec recipiatur ulterius. nisi peniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietatis apud quemquam in morte reperta fuerit: ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilino sub a

Cap. iiii.